DE ENCEPHALITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Carlo medico Acerbi (medico)

DE ENCEPHALITIDE.

Encephalitis, a graecis nominibus ἐν, intus, et κεφαλή, caput, designat cerebri inflammationem: communiter tamen hac denominatione comprehenduntur meningitis ac cerebellitis; signa enim tam clara non habentur ut aequa instituatur distinctio.

Veteres putabant raro hoc viscus inflammari, et huic morbo, juxta symptomata praevalentia, nomen indiderunt. Hinc nuncuparunt istam adfectionem nunc phrenesim, nunc febrim nervosam vel et ataxicam. Perspecta tamen hujusce organi magna cum caeteris organis relatione, nec non cum mundo externo; pensitatis suis actionibus quae et late extenduntur, et difficulter, uti convenit, diriguntur, clare elucet, cerebrum non minus quam caetera organa phlogosibus obnoxium esse.

Symptomatologia.

Diagnosis hujus adfectionis generatim sequentibus deducitur symptomatibus.

Qui encephalitide corripitur, plerumque frigoris sensum experitur, quod cutim corrugat et artuum delassationem relinquit, et quod vagus, inconsuetus calor excipit. Ægrotus tristitia, inquietudine capitur; dum a contra nonnunquam quadam afficitur laetitia, libenter modoque effraeni ridet et canit Adsunt praeterea plenitudinis sensus ad caput, somnus visionibus ingratis turbatus, vertigines caliginosae, faciei turgor, atque ad iram pronitas.

Haec symptomata prodroma, quae quoad numerum

et successionem variare possunt, proprio subsequuntur. Febris nempe vivax; violenta cephalalgia, quae nunc ad totam, nunc ad unam circumscribitur capitis regionem et praesertim ad occiput, nec non ad syncipita, et nunc secus columnam vertebralem extenditur; vehementer pulsant carotides arteriae et temporales; visus et auditus, dum ab initio acuuntur, temporis tractu labefactantur; tinniunt aures; olfactus et gustus sensilitate facili negotio destituuntur. Adsunt porro pupillae arctatio atque immobilitas, spastici motus et convellentes, rigiditas tetanica, et quandoque, teste Burserio et Frank, ipsa paralysis et pupillae dilatatio. Æger modo advertitur stupidus atque tranquillus, modo delirans; modo continuis efficitur pervigiliis, modo typhomania.

Delirium autem nunc mite, nunc intermittens evadit, ita ut post paroxysmum animus perfecte requiescat: nunc vero delirium vehemens et continuum usque ad extrema perdurat. Sat frequenter delirium observatur etiam tum cum dolor sit lenis, id quod facile explanatur ex paris vagi nexu. Aorta nonnunquam valdopere micat, et tali in casu, docente Hippocrate, imminet delirium. Dysphagia, et rarius hydrophobia hoc in morbo praesto sunt. Alteratur vox; crebrior fit sputus cum vomitu pituitoso et colore tincto rubiginoso; urinae persaepe pallidae, aquosae, spasticae, strangurie et dysurie praesente, minguntur; quin imo ex toto suspensae aliquoties fuerunt. Genitalia organa nonnunquam quodam stimulo lacessita continuo videntur; penis erigitur, nec desunt exempla ubi gangraena correptus fuit. Cordis actio inconstans; pulsus modo naturalis, modo tardus; mobilis atque parvus sub principio et prima periodo, dum sub finem durus, fortis et satis frequens fit. Si virium prostratio adest, tunc pulsus intermittens, plerumque parvus atque irregularis invenitur.

Ultimo morbi periodo nonnulli aegrotantes peculiarem redolent suricinum odorem. Quoad eruptiones cutaneas autem, vigente cerebri inflammatione, nunc supprimuntur, nunc in earum curriculo retardantur, et nunc, ut ita dicam, e converso provocantur. Respiratio tandem difficilis, stertorosa, irregularis; fluidorum per pharyngem, tamquam per canalem vita destitutum, transitus; involuntaria urinarum et faecum emissio malam claudunt scaenam et exitum praenunciant infaustum.

Ætiologia.

Quidquid irritabilitatem et sensibilitatem meningum adaugere valet, causam facile sistit encephalitidis.

Haec inflammatio infantilem atque juvenilem et pubertatis aetatem praesertim aggreditur; nec desunt exempla foetuum, qui simili adfectione in utero materno occubuere. Temperies nervosa, sanguinea; subjecta charactere praedita irascibili et violento, huic prae caeteris subjiciuntur morbo. Frequenter homines vexat climata calida incolentes, sub tempestate aestiva, praecipue humidis in locis; illi vero qui vitam degunt sub influxu climatis sicci et solis radiorum, delirio phrenetico plerumque laborant. Insolatio principem sistit ac commoniorem encephalitidis causam. Ita Prosperus Alpinus endemicam perhibet se vidisse hanc adfectionem in Ægypto. Anno 1824 fuit encephalitidum epidemia quoque in Italia observata, et praeprimis in Pedemonte, quam, uti refert Bellingerius, calor justo intensior peperit. Ejusmodi phlogosis a cauterio vel et a moxa capiti adplicitis, facili negotio inducitur, sicuti et a simplici capillorum recisione. Uti est de caeteris, ita et ista inflammatio abusum excipit regiminis stimulantis, spirituosorum

praecipue, narcoticorum, et omnium substantiarum, quae fortiter cerebrum excitant. Tali pacto intelligitur cur hic morbus magis crassatur in Anglia ac in Germania quam aliis in regionibus; Angli enim et Germani prae reliquis populis alcoholicis abutuntur. Alicujus habitualis evacuationis, ex. gr. transpirationis, haemorrhoidum, lochiorum suppressio, similem progignere queit morbum, qui nonnunquam pervigilias justo nimis protractas, intensas mentis applicationes, pathemata cujuscumque generis, dum nimia peccent intensitate, indignationis atque irae impetum, amorem frustratum, zelotypiam similisve subsequitur. Sunt tamen casus in quibus encephalitis, quin ulla agnoscatur causa, individuis potitur otiosis, qui cibis vescuntur nimis succulentis. Persaepe originem trahit a violentiis externis, uti e forcipis adplicatione sub partu; e lapsibus, vulneribus directo vel modo indirecto caput laedentibus; e cerebri commotione, quae quidem est frequentior in pueris istius phlogoseos causa. Nonnunquam aliqua eruptionis cutaneae retropulsio, arthritidis chronicae, item et rheumatismi, faciei erysipelatis, eam producere valet. Nec mirum est, quod disparente ex-tempore parotide, orchitide, otitide, ophtalmitide, angina, pneumonitide, per metastaseos leges cerebri inflammatio oriatur; vel et sub hepatitidis, gastro-enteritidis, morbi petechialis, variolosi, scarlatinosi, morbi cholerae decursu. Cordis hypertrophia, maximeque cranii exostoses, indolis speciatim venereae, et superficiem ejusdem cranii insidentes, encephalitidem, ob pressionem et irritationem quam exercent in cerebrum, procrearunt.

Terminationes.

Encephalitis in sanitatem finire queit sequentibus circumstantiis adjuvantibus: 1. nempe bona constitutione, vitiorum deficientia organicorum et habi-

tus apoplectici; 2. morbi caussa levi et simplici et dynamica; 3 symptomatibus mitis indolis, atque simplici et regulari morbo; 4 idoneae usu therapiae; 5 crisibus salutaribus. Si agatur de simplici congestione, tunc ablata causa, et morbus eodem tempore sanatur. Si autem vera est inflammatio, suum metiri debet curriculum; et modo die quinta, saepius die septima, raro die quarta decima, aliqua judicatur crisi. Praecipuae autem criticarum evacuationum sunt: sudores profusi, urinae hypostaticae, alvus diarrhoica, epistaxis; rarius parotides succedunt metastaticae, vel et erysipelas.

Et aliae hanc inflammationem excipiunt adfectiones sive dynamicae sive organicae. Facultatum mentis alterationes, vel sensuum externorum, uti essent hebetudo, mania, melancholia, totidem sunt hujusce morbi dynamicae terminationes: dum suppuratio et effusio ad organicos demandantur exitus. Meningum abscessus vel et cerebri indicant: ponderis frigorisve sensus illo in loco ubi suppurationis centrum existit; mentes facultates alterantur, prodeunt convulsiones, paralyses et febris suppuratoria. Hippocratis ars huic exitui mederi nequit, et cito mortem apoplecticam, vel convulsivam, vel phthisim cerebralem inducit. Seri, lymphae vel materiei puriformis effusio (quae, ubi sub statu inflammatorio acuto contingit, hydrocephalum constituit acutum) quadam semper tenetur relatione cum phlogoseos gradu; aliquoties et pseudomembranae inveniuntur. Signa tamen quae hanc indicant terminationem desunt: hujusce exitus in suspicionem adducimur, quando de repente encephalitis disparet, functionum integritate nequaquam redeunte; quin imo ipsae facultates quodammodo sufflaminatae videntur. Hae morbosae exsudationes persaepe illis contingunt, in quibus naturae vires et evacuationes nitebantur salutares

Encephalitidem excipiunt quoque palpae cerebralis induratio, meningum crassities, durae meningis fungositates, ossificationes, quorum exituum tam diagnosis quam origo nos ex toto latet. Nonnunquam hanc subsequuntur phlogosim dementia, amaurosis, epilepsia, vertigo, paralysis. Morte nunc modo directo, nunc modo indirecto terminari potest. Ubi inflammatione cerebri munus tollatur, tum mors apoplectica vel convulsiva, quae est in praxi valde communis, ingruit. Nonnunquam producitur mors a substantiae corticalis et meningum gangraena sphaceloque, quod ex causarum traumaticarum culpa evenit: mors indirecta autem a variis oriri solet posthumis organicis.

Cadaverum autopsia.

Invenitur saepe serositatis effusio, quae magnopere variat suis characteribus, et aliquando limpida adparet, modo lacteacea, modo materiae mixta flavae, floccosae; rarius indolem refert purulentam. Hae autem seri collectiones occupant vel cerebri externam superficiem, vel ejus ventriculos, vel et regionem quae est inter aracnoideam et duram matrem, vel et spatium quod inter duram matrem et cranium existit; quo in casu diagnosis quodammodo eruitur ex inspectione seri e capitis hiatibus effluentis. Humoris quantitas variat, dum nunc aliquas tantum metitor drachmas, nunc et uncias octo et decem. Quoad principia constituentia variare solet pro diversis circumstantiis; et ex eorum indole peculiari, peculiaris quoque habentur criteria ad morbi naturam proximius determinandam.

Pseudo-membranae. Quotiescumque inflammatione detegeatur aliqua membrana, tunc harum efformatio possibilis fit, et reapse succedit. Pseudo-mem-

brana, quae morbum consequitur, os inter et duram matrem invenitur, ant banc inter et arachnoideam; sat saepius iu arachnoidea observatur, cujus magna potitur superficie; et tali pacto hemisphaerii extensioni flavum conciliat colorem. Abiquando videntur item in ventriculis nonnullae pseudo-membranae plexus induentes choroideos, et saepenumero in cerebri superiore tentorii superficie deteguntur.

Suppuratio. Frequenter sub arachnoidea reperitur aliquid puriformis materiei, quae alias effunditur arachnoideam inter et duram matrem, vel et cranium inter et hanc membranam: sat saepe idem pus collectionibus sane parvis, per adhaesiones durae matris cum osse circumscriptis, aut meningum inter semetipsas, originem praebet. Hac materie purulenta et ventriculi quoque scatere possunt; sed speciatim in substantia cerebrali istae efformantur puris effusiones; et ita constitutae sunt, ut collectiones a molli tunica limitatae, vel etiam cum substantia cerebrali jam jam organisatione carente commixtae habeantur; atque eo in casu substantiae cerebralis plus minusve extensae et emollitione captae, ac quodammodo cum ipso pure commixtae, portione abscessus est circumdatus. Quacumque in parte cerebri similes invenire queunt abscessus; qui tam praecipue circumscripti sunt, cum cerebri partes minoris voluminis, medullam ex. gr. oblongatam, corpus striatum occupant.

Emollitio. Haec alteratio, consentientibus fere omnibus medicis, habetur tanquam inflammationis exitus, quem substantiae cerebralis pars in pultem mollem redacta, quae, dum colorem servat naturalem, prorsus tamen suam amisit duritiem, declarat. Differt haec terminatio a suppuratione ex eo, quod nec colorem nec odorem suum exhibet. Istiusmodi emollitio in omnibus cerebri partibus progigni potest, sed frequentius fuit observata in substantia alba

densaque corpus efformante callosum, fornicem et septum lucidum. Quod autem talis degeneratio oriatur e phlogosi praegressa, probatur quotiescumque considerare volumus infantes, juveniles subjecta ipsi prae caeteris obnoxia esse, et adfectiones consequi acutas, hydrocephalum praesertim acutum. Huc adde quod ista emollitio crebro cum veris phlogoseos signis conjungi solet: hujusmodi essent intensus cerebralis substantiae circa emollitionem rubor, aut quaedam suppuratio ad ejus limites, vel demum pseudo-membranarum vicinis insidentium partibus praesentia. Praeterea in cerebri ipsius regione fuit emollitio observata, in alia abscessus; atque in alia cerebri regione characteres visi fuerunt anatomici phlogosim acutam testantes, qui quidem regularem textus phlogosi ad textum emollitione captum transitum sat clare praebebant. Fuit quoque notatum emollitionem cerebri nonnunquam induci e deficiente nutritione, ex ejus arteriarum morbis pendente, adeo ut earum lumen obstruatur. Haec est causa emollitionem, quae in senibus invenitur, producens: quod tamen minime impedit, ut ea e quadam vehementi progignatur inflammatione, ex cujus culpa exitus oriatur haud multum dissimilis gangraenae, quae, eadem stante causa, in omni corporis parte contingere queit.

Durities. Si cerebri aliqua pars justo nimius densatur, hanc habemus terminationem, et tali in casu eadem pars subrubra fit, steatomatosa, atque quodam molli recentis productionis sacco obducitur. Is exitus, minime rarus, nonnonquam totum fere tenet cerebrum. Dubitare non possumus, quod inflammatio, uti evenit in ceteris organis, in cerebro etiam istam parere possit laesionem.

Haemorrhagia cerebralis. Communiter cum insigni cerebri functionum alteratione se se manifestat; sanguis raro exhalatur in arachnoideae superficie, vel

ventriculorum cavo, rariusque ex culpa alicujus magui venosi sive arteriosi vasis ruptioni succedit. Crebrius progigni solet in massae cerebri interstitiis, et tali modo cava diversae figurae ac magnitudinis format.

Tubercula. Si examinari possunt in cadaveribus sub primo eorum formationis gradu, ipsa invenimus eadem indole praedita quae inest tuberculis caeterarum corporis partium. Generatim sunt solida, dura, et colorem referentia albidum; eorum volumen nunc non superat aciculae caput, nunc magnitudinem uncis vel et parvi ovi acquirit. Reperiuntur omnibus in cerebri partibus, sive in ejus substantiae spissitudine, sive ad ejus superficiem, sive suis adhaerentia membranis. Quando iis tuberculis volumen est magnum, eorum textus, cultri ope scissus, colorem exhibet albidum, vel et cystidem materia caseosa repletam. In illis casibus, ubi morbus mortem produxit, tuberculorum textus aliquam plus vel minus insignem refert emollitionem, atque ejus pars in fluidum malae indolis purulentum convertitur.

Exulcerationes. Non sunt rarissimae, et locum habent etiam absque sanguinea effusione. Inveniuntur maxime ad corpora striata, ad thalamos opticos, ad circumvolutiones exterius positas cerebrales. Eorum extensio variat tam in superficie quam in altitudine; forma saepius irregularis, atque eorum margines oblique caesi adparent et inaequales.

Prognosis.

Prognosis erit deducenda ex individui constitutione plus minusve firma, ex caussarum indole; quum encephalitis e causa traumatica vel ex insolatione producta, periculosior, vehementior et majori cum celeritate decurrere soleat, quam ea quae a caeteris provenit causis: praeterea ex majori aut minori morbi vi

et duratione, ex symptomatum, atque complicationum numero, vehementia et extensione; demum ex bona aut mala jam adhibita therapia; nemo enim nescit morbi exitum eo magis ambiguum et graviorem futurum, si affectio neglecta vel male curata fuit. Juvenes, alacri vitalitate aut temperamento calido et sanguineo praediti, magis periclitari dicuntur. Quoad spiritus habitusque exterioris qualitatem, phrenitidem vel encephalitidem homines iracundos, illos qui vocem habent asperam et sonoram, aut oculos et crines nigri coloris, corripientem, graviorem ac periculis pleniorem jam Hippocrates docuit. Si os aridum est, et eodem tempore aeger non sitit; dolor acutus et pervicax, delirium comatosum paralysi comitatum, aut sopor viget cum extremitatum frigore, cum tremoribus assiduis, dentium stridore, pupilla clausa, vel at dilatata et lucis radiis insensibili, malum. Ubi febris impetus mitescat, sed delirium in profundum vertatur somnum, tunc apoplexia cerebri aut suppuratio timenda. Nonnunquam capitis dolorem evanescentem excipit mortalis peripneumonia. Vomitus pertinax aeruginosus, continua masticatio, difficilis deglutitio, materies alvinae albae, urinae crudae et apsticae, pervigilia obstinata mali ominis sunt. Quando aeger ad existentiae suae finem adpropinquatur, tunc motus respirationis frequentes, praecipites fiunt, vel contra quammaxime tardi; pulsuumque tenuitas, irregularitas, vel intermissio; stertor, extremitatum frigus, faciei immobilitas totidem sunt phaenomena quae mortem portandunt. Nec melior aegrotantis, quae de repente contingat, salutis conditio, dum cephalalgia, pervigilium aut ad somnum pronitas, quaedam universalis defatigatio, horrores, languor persistant; medicum plerumque fallit, et morbum majoris momenti recidivantem praecedit.

Haemorrhagiae, etiam per haemorrhoides aut per

uterum, sunt boni ominis hocce in malo, sicuti et sudor copiosus universalis, urina sedimento scatens copioso fermeque purulento, delirium evanescens, somnus placidus atque reficiens. Si usus sensuum et facultatum intellectualium, animique tranquillitas redeat, lingua normalis fiat, aegerque se bene valere perhibeat, tunc salus praedicenda.

Ubi morbus tamen adhuc vigeat, et ipsa in convalescentia, caveat aeger ne, accedente quacumque etiam minima caussa, subito adaugeatur vel renovetur. Quum autem encephalitis est devicta, remanet vertigo, oculorum dolor et capitis, memoriae debilitas, auditus acutus aut gravis, hemiplegia; quae quidem posthuma plus minusve temporis perdurant. Motum autem, sensus, facultates intellectuales lente redintegrantur. Nonnunquam tamen aegrotus permanenti traditur amentiae

Curatio.

Temperies mitis, frigidiuscula, ubi aer persaepe renovetur, aegrotum circumdare debet; suum cubiculum sit obscurum, ab omni rumore et aere directe irrumpente liberum. Levioribus aeger obtegatur stragulis, et caput perfecte nudum sit; nam adeo plerumque dolet ut neque tangi patiatur. Perstante inflammatione, medicus omni sollicitudine studeat, ut regimen servetur perquam severum; ut alvus praecipue semper libera servetur opus est.

Cura encephalitidis generatim eo dirigitur ut facultates intellectuales bene eorum fungantur munere, tristes affectus praecaveantur, fortesque animi impressiones, atque quidquid sensibilitatem cerebri adaugere potest, sedulo amoveatur.

Curet medicus, ne similis adfectio evolvatur quotiescumque notiunem caussarum, quae jam sunt praegressae et quae encephalitidem facili negotio induce-

re possunt, jam habeat; vel etiam symptomata prodroma hujusce adfectionis praesto sint et tunc praesertim optime condacunt sanguinis missiones, namque damnum, quod ex inutili venae sectione emergere potest, semper minus evadit, quam illud, neglectis sanguinis missione, eventurum. Morbo incipienti medicus opponi debet sequentibus auxiliis: venae sectionibus, hirudinum adplicatione loco capitis dolenti, rubefacientibus ad crura pedesque admotis, usu refrigerantium super caput efficacium, atque interna drasticorum exhibitione energicorum, dummodo gastroenteritidis suscipio longe absit. Sanguinis deductionem medici proclamant in hac adfectione princeps auxilium. Repetatur ipsa saepins, pront morbi grados et vis postulare videntur.

Nonnulli jugularem externam aperire censent. Nos autem minime opinamur arteriae temporolis incisionem esse faciendam; propterea quod incommoda, quae necessario istam subsequuntur operationem, augeri debent in homine furioso correpto delirio. Apertura venae magna quidem esse debet, ut uno ictu sanguis effluat copiosus; quod utilius sane, docente praxi, est dijudicandum, quam exiguae et multae venaesectiones intra nycthemarum peractae.

Quoad sanguinis quantitatem deducendam, phlogoscos intensitati, corporis constitutioni, viribusque aegroti jugiter respondeat. generatim tamen morbi indoles eam requirit copiosam, primis diebus praecipue.

Copiosae super caput pilis denudatum hirudines adplicitae deducunt magnam sanguinis quantitatem. Possunt admoveri loco dolenti, praecipue si agatur de juvenibus, quorum vasa externa cum internis magis directam habent communicationem: item occipiti, temporibus, pone aures, et generatim Santorini emissariis, naribus, etc. Repetantur istae adplicationes quousque aeger melius se habeat. Scarificationes a non-

nullis haud approbantur, ex eo quod irritationem in ducunt; sed constat experientia valdopere adjuvasse illis in casibus, ubi altus vigebat sopor et opus erat aliqua revulsione Tunc uncae admoventur cucurbitulae et profunde scarificantur. Inter tot auxilia externa dynamica potiora, primum tenet locum frigoris adplicatio continuata, et artis legibus facta.

Vesicantia et sinapismi, pedis plantae vel dorso admota, quammaxime utilia evadunt. Si timetur ne aliqua facta sit seri effusio, tunc unguenta mercurialia, collo praecipue admota, magnis laudibus a medicis extolluntur. Inter autem medicamina interna praecipuam merentur attentionem purgantia drastica, olei praesertim crotonis tilii; quae tamen non adhibenda sunt, si tubus gastro entericus aliquam patitur inflammationem; et tunc purgantia mitiora, tamarindus cum nitro, oleosa, sales medii caeteraque eccoprotica perquam prosunt.

Reliquam curationem complent decocta emollientia, potiones refrigerantes, emulsiones tenues, decoctum hordei, oxymel cum acidis vegetabibus. Si phlogosis ab evacuationis habitualis suppressione dependet, uti transpirationis, haemorrhoidum, lochiorum, erunt tunc adhibenda illa remedia, quae facilius evacuationem suppressam revocare valent. Si autem originem duxit a nimia mentis intensione, pathemate, tunc spiritus tranquillitas conciliande venit. Si capitis vulnus subsequitur, diligenter examinari debent locales laesiones; nonnunquam enim corpus extraneum aut ossis fragmentum haec omnia inducunt symptomata quare si adest, removeatur, et vulnus a cunctis potentiis nocivis, et praesertim ab aere externo, rite defendatur.

THESES DEFENDENDÆ

I.

Febrem hecticam ab una puris absorptione nequaquam prodire.

II.

Phthisim nentiquam contagiosam.

III.

Facultatum intellectualium vigorem in animalibus, haud semper cerebri magnitudinem aequi.

IV.

Epilepsiam ab idiopathica cerebri adfectione oriundam cito lethalem.

V.

Medicos mysteriosis actibus arcanisque verbis non dignitatem sed levitatem ostendere.

VI.

Pulsus non semper inflammationis intensitati respondet.